

huiusmodi interdicti relaxationis beneficium obtine-re contradictores. Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis per censuras eccl-e-siasticas et alia iuris opportuna remedia appellatio-ne postposita compescendo. Et insuper, ut præsen-tes litteræ ad notitiam monitorum praedictorum fa-cilius pervenire valeant, cum ad illos de præmissis certiorandos personaliterque monendos tutus non pateat accessus ob illorum potentiam, volumus et mandamus easdem litteras vel ipsarum transumpta auctentica cum manu publica Notarii sive alicuius dictæ Cameræ Clerici subscriptio, quibus fidem adhiberi volumus, in Bononiense Mutinense aut Imolense ecclesiarum circumvicinorum locorum de quibus verisimilis conjectura sit quod ipsos monitos possint de facili pervenire, valvis affligi; quas post affixionem huiusmodi eosdem monitos periude arctare decernimus, ac si eis præsentialiter et personaliter intimatae essent et intimarentur, non obstantibus Constitutio-nibus et ordinationibus nec non quibuscumque pri-vilegiis et indultis apostolicis eisdem excommunicatis privatis et interdictis personis ecclesiis monasteriis civitatibus terris et locis concessis, per quas effectus præsentium perturbari aut alias quomodolibet dif-ferri posset, et quibuslibet privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel spacialibus, quæ etiam si de illis eorumque totis tenoribus spacialis specifica et expressa mentio præsentibus habenda foret, eisdem excommunicatis, privatis et interdictis quoad præmissa nolumus aliquatenus suffragari cæ-terisque contrariaiis quibuscumque, seu si excommunicatis aggravatis et interdictis personis, ecclesiis, monasteriis, civitatibus et locis praedictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit Sede indultum quod interdicci, suspendi vel excommuni-cari aut privari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de induito huiusmodi ac eorum nominibus cognominibus dignitati-bus qualitatibus et ordinibus mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ mo-nitionis assignationis innovationis aggravationis su-biectio[n]is decreti privationis mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apo-stolorum eius se noverit ineursurum.

Datum Romæ apud Sanetum Petrum. Anno In-carnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo vi-gesimo primo.

Sexto Calendas Augusti. Pontificatus Nostri Anno
Nono.

Edictum Imperiale contra Regem Gallum. 299¹⁾

Nos Carolus Divina favente clementia etc. Ro- 300²⁾
manorum Imperator semper Angustus, Rex Germa-niae, Castellae, Aragōnum, utriusque Siciliae, Hie-rusalem, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Legionis, Navarre, Granatae, Toletae, Valentiae, Galletiae, Maioricarum, Hispalis, Sardiniae, Cordubae, Corsi-cae, Murciae, Giennis, Algarbii, Aliezirae, Gibralta-ris, Insularum Canariae, Indiarumque Insularum et Terraæ firmæ, Maris oceani, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, et Brabantiae, et Comes Barchino-nae, Flandriae et Tiroli, Dominus Vizcayae et Mo-linae, Dux Athenarum et Neopatriæ, Comes Rossi-onis et Ceritaniae, Marchio Oristani et Gocianu. Cum de his, quæ aguntur omnibus constare velimus, ne sint qui ignoratione rerum se excusent, has voluntatis nostræ indices publice legendas damus. Cum nobis summum studium esset, ut saedatis do-mesticis discordiis communi Christianorum auspicio arma in sempiternos nominis nostri hostes inferren-tur, compositis cum Rege Gallo rebus pro viribus adhixi sumus, ut quæ exterminata pax esse videba-tur, tanquam ab exilio revocata in sedes suas redu-ceretur. Interiectis postea paucis diebus, cum ad con-stituendam publicam concordiam a Summo Pontifice invitaremur, quinquennii inducias primi admisisimus, 300^{*} propositoque veluti salutari signo rempublicam sal-vam cupientes, bene sperare jussimus. Nec longum, cum frequentibus nunciis de incredibili apparatu hostium renunciantibus ad custodienda maria con-versi, ingentem classem comparavimus, utque de pietate nostra, quam parcissime loquamur, soli fui-mus qui rempublicam defendendam suscepimus, Rege Gallo cum a summo Pontifice adiuvandam Religionem rogaretur nequaquam dicere verito, curam religionis susciperent, qui finitimi hostibus essent, cum ad se iretur se sua defensurum esse. Longe enim Rex iste a conservanda reipublicae studio aberat, queque eius gentis conditio est, consilia novandarum rerum publico malo jam tum ini-bat. Delatum interim ad nos Imperium est. Quo facto, cum volente Deo, respublica nobis committi videretur, relicta Hispania in Germaniam venimus, appellataque universa ea natione, omnia studia no-stra ad sublevandam Religionem contulimus. Pro-cedebat res beneque sperari poterat, si respublica

(1) La carta 298¹⁾ è bianca.

(2) La carta 299¹⁾ è bianca.